



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 36va-37va
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 11 quaeritur primo utrum distantia localis impediatur locutionem unius angeli cum alio.

Videtur quod sic, quia secundum Damascenum, angelus ubi operatur ibi est. Sed locutio angeli est quaedam operatio eius. Cum ergo angelus sit in loco determinato operatur per locutionem determinatam, ergo distantia localis impedit locutionem unius angeli cum alio.

Praeterea, clamor loquentis fit propter distantiam audientis. Sed in Isaia dicitur quod 'clamat unus angelus ad alium; ergo ibi operatur distantia et potest impedire.

Contra. Dives loquebatur Abrahae, non impediendo locali distantia, ergo multo minus localis distantia potest impedire locutionem unius angeli cum alio.

Ad evidentiam huius quaestionis sunt quattuor videnda. Primo ostenditur qualiter unus angelus intelligit alium. Secundo ostenditur quae est locutio unius angeli cum alio, quae duo supponebat quaestio. Tertio apparebit quod distantia localis unius angeli cum alio locutionem non impedit. Quarto ponuntur obiectiones quaedam contra determinata.

Quantum ad primum sciendum quod sicut dicit Augustinus, Super Genesim ad litteram, ea quae in verbo Dei ab aeterno extiterunt, dupliciter a Deo effluerunt: uno modo in intellectum angelicum; alio modo ut subsisterent in se ipsis et in propriis naturis. In intellectum angelicum processerunt dictae rerum rationes per hoc, quod Deus menti angelicae impressit similitudines, tam rerum spiritualium quam corporalium, quamvis in esse naturale produxit. Differenter tamen impressa est cuilibet angelo similitudo propriae speciei et aliarum rerum, quia ratio suae speciei impressa est sibi secundum esse naturale et intellectuale simul qua ratione subsistit et se ipsum intelligit. Sed aliarum rerum tam corporalium quam spiritualium rationes sunt sibi impressae secundum esse intellectuale tantum; tamen ex praemissis arguitur sic. Cum omnis cognitio sit secundum similitudinem, illa dicitur angelus intelligere quorum similitudines habet in se ipso. Sed ut ostensum est, omnes rerum similitudines tam spiritualium quam corporalium quilibet angelus habet; ergo angelus intelligit omnia /36vb/ spiritualia et corporalia. Et sic unus angelus intelligit alium, ita scilicet quod illa species qua unus angelus intelligit alium differt ab ipso angelo, non secundum esse materiale et immateriale, sed secundum esse naturale et intentionale. Nam ipse intellectus angelicus ab alio est forma subsistens in naturali esse, sed species, qua alius ipsum intelligit, habet esse intelligibile tantum, sicut esse coloris in pariete est esse naturale, sed in medio deferente habet color esse intentionale tantum. Sic patet primum.

Quantum ad secundum, quid sit angelum loqui cum angelo vel etiam sibi ipsi, sciendum quod locutio nihil aliud est quam manifestatio alicuius latentis. Ex hoc enim dicor loqui alicui, quod sibi manifesto quod in corde habeo, quod eum latebat. Et ideo respectu huiusmodi commutationis proprie fit locutio, quod de abscondito ad notitiam alterius venit manifestam. Et illud potest in nobis contingere dupliciter; quamvis enim multa possimus scire in habitu, contingit tamen intelligere tantum unum. Et ideo quando intellectus noster consistit in actu alicuius speciei et habet illam speciem in abscondito memoriae, quando secundum aliquam illarum ad actum considerandi reducitur, format verbum et dicitur loqui sibi ipsi. Si autem ulterius istud verbum cordis, quod latet in corde alii, ordinetur ad manifestandum ulterius per vocem, talis manifestatio dicitur locutio exterior. Et sicut in nobis, ita suo modo in angelis, quia cum angelus existens in actu unius speciei et in potentia ad alias



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 36va-37va
transcribed by Andrea Colli

reducitur in actum considerandi secundum aliquam speciem, quae prius in memoria sua latuerat, dicitur loqui sibi ipsi. Et quia illud habet fieri per imperium voluntatis et illa quae ex sola voluntate dependent, sunt soli Deo nota, et latent alium angelum. Ideo cum angelus ordinat verbum mentis, quo sibi loquitur ad manifestandum alii angelo hoc ignoranti, talis manifestatio dicitur locutio angeli cum angelo. Et sic patet quod, quando mens convertit se per imperium voluntatis ad considerandum actu quod prius habuit in habitu, tunc dicitur loqui sibi ipsi. Quando autem angelus ordinat conceptum suum ad manifestandum alteri angelo, tunc loquitur illi angelo. Et potestas sic ordinandi conceptus suos ad alterum manifestandum, dicitur lingua eius. Sic patet secundum.

Ex hiis statim apparebit tertium, scilicet quod distantia localis non impedit locutionem angeli, quia in omni eo quod abstractum est a loco et tempore, nihil omnino facit nec operatur loci distantia nec temporis diversitas. Sed cum locutio angeli consistat in intellectuali operatione, quae abstrahit ab hic et nunc, scilicet a loco et tempore, ergo ad eam nihil facit loci distantia. Et confirmatur ratio, quia cum actio sequatur modum agentis, illa proprie corporaliter et situationaliter agunt, quae corporalia et situabilia sunt. Illa autem quae penitus sunt spiritualia et incorporalia, tantum spiritualiter agunt. Angelus autem omnino spiritualis et incorporeus est, ideo omnis actio eius intellectualis est nullo modo ordinem habens ad situm. Cum ergo locutio angeli cum angelo sit intellectualis operatio, sequitur quod ad eam nihil faciat distantia vel propinquitas loci et ita a remotis potest loqui unus angelus cum alio, sicut a propinquo.

Modo contra ista arguunt aliqui multipliciter. Primo faciunt distinctionem de hoc quod dictum est, quod quando ordinat angelus id quod concipit ad manifestandum alteri, tunc loquitur cum ipso. Et istud sufficit ad excitandum ipsum.

Contra. Quia ex hoc quod ordinat aliquis conceptum ad alterum, non oportet quod illud sciat alius angelus esse ordinatum ad ipsum. Sed quando aliquis loquitur alteri, requiritur quod hoc sciat; ergo non sufficit ad rationem locutionis, quod ordinetur ipse conceptus ad alterum per imperium voluntatis.

Praeterea, quando unus ordinat conceptum suum ad alium, alius angelus potest ad eundem conceptum suum ordinare; tunc quaero utrum cognoscat conceptus illos esse ordinatos ad se vel non. Si cognoscat, ergo cognoscit simul plura ut plura, quod falsum est; sed non, ergo non est locutio, cum locutio non sit, nisi excitatio alicuius ad recipiendum conceptum alterius.

Tertio arguunt alii contra hoc quod dictum est, quod locutio angeli non impeditur a locali distantia, sic quia secundum quamdam gloriam angeli propositi aliis manifestant voluntatem Dei nutibus et signis. Isti autem nutus et signa non sunt conceptus angeli, quia nihil est signum sui ipsius.

Item nec desiderium angeli, quia aequae est ignotum desiderium, sicut ipsa conceptio. Oportet ergo quod sit operatio exterius protensa ad alium, sed omnem talem operationem distantia localis impedire potest, ergo et locutio angeli.

Quarto sic. Locutio angeli ad mortuos impeditur locali distantia, quia aliter frustra transirent de loco illorum mortuorum /37ra/ nunciaturi, quae vidissent apud ipsos. Ergo simpliciter impedit locutionem angeli cum angelo vel ad angelum.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 36va-37va
transcribed by Andrea Colli

Contra hoc autem quod dictum est, quod operatio angeli abstrahit a loco, arguitur sic. Operatio non est magis abstracta quam substantia, sed substantia angeli diffinitur loco, ergo et operatio, quare et locutio.

Ad evidentiam argumenti sciendum quod angelus semper est in actuali consideratione sui, se autem cognoscit per suam essentiam. Et omnia quae ad ipsum pertinent et quia quando angelus conceptum suum ordinat ad istum, statim conceptus iste ad illum pertinet, et illum per essentiam suam cognoscit. Et sic solvunt primum argumentum.

Verumptamen quia non est inconueniens multa per aliquid unum cognosci. Ideo cum conceptus illos cognoscit per essentiam suam, simul potest cognoscere. Sed tunc est dubium, cum essentia sua non sit medium excedens diversos conceptus maxime, cum superior loquitur inferiori et multa ut multa non possunt cognosci, nisi per medium unum excedens; ideo etc.

Ad tertium de locali distantia dicendum quod arguunt ab insufficienti, quia signa et nutus quibus angelus excitatur, non est hoc vel illud, ut dicebant. Sed ipsa species in intellectu angeli loquentis est signum et ipsa ordinatio conceptus ad alium dicitur nutus. Hoc enim facit ordo conversionis in spiritualibus, quod ordo localis propinquitatis facit in corporalibus. Nec recipit angelus, cui fit locutio, aliquid alloquente, sed per speciem quam penes se habet intellectus actu, statim fit ex conversione alterius ad ipsum cognoscit alium angelum et eius locutionem, sed quod cognoscat naturam angeli. Non oportet in eo ponere excitationem, quia hoc potest voluntate propria, sed manifestationem cognitionis, quae dependet ex alterius voluntate, oportet quod cognoscat ipse angelus per conversionem alterius ad ipsum.

Ad quartum dicendum quod dicuntur transire ad mortuos bonos, in quantum vertuntur ad ipsos ex cuius conversione intuentur animae species rerum in angelis.

Ad cuius evidentiam sciendum quod anima post mortem tribus modis intelligit. Primo per species in corpore receptas. Secundo per species sibi a Deo infusas et illae duae cognitiones subiacent arbitrio animae separatae. Tertio per species rerum in angelis intuendo. Et illa cognitio inest animae per conversionem angeli ad ipsam. Et sic dicitur esse transitus vel, si loquendo aliquid operatur, angelus movetur localiter ad ipsam ratione operationis vel dicendum quod non est simile de anima, quae est debilis virtutis respectu corporis ad quod semper habet inclinationem et de angelo.

Ad quintum dicendum quod operationi angeli non debetur locus nec exit a substantia angeli, sed ratione obiecti in quantum terminatur ad aliquod corporale et sic substantiae debetur locus ratione operationis non e converso.

Ad primum dicendum quod operatio angeli circa corpus facit eum esse in loco determinato, non operatio angeli circa angelos, cum talis operatio non dependeat ex situ.

Ad secundum dicendum quod angelus clamat, in quantum convertit se per speciem ad alium angelum ad ostendendum, ut alius capiat magnitudinem rei.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum omnes angeli secundae hierarchiae in ministerium mittantur vel tantum aliqui assistant.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 36va-37va
transcribed by Andrea Colli

Ad evidentiam huius quaestionis sunt tria videnda. Primo ostenditur quod aliqui angeli assistant. Secundo quod non omnes, sed aliqui in ministerium mittantur. Tertio apparebit quod principaliter quaeritur.

Quantum ad primum sciendum, quod angeli introducuntur assistentes et ministrantes ad similitudinem eorum, qui alicui regi serviunt, quorum quosdam videmus, quod immediate regis praecepta audiunt et a suo conspectu numquam recedit nuntiantes aliis dicta praecepta, ut ea exaequantur et illis quibus fit talis nuntiatio mitti dicuntur et hoc videmus in istis civitatibus temporalibus assistere. Ergo ipsi angeli dicuntur qui secreta divinorum ministeriorum immediate recipiunt a Deo. Et mitti dicuntur illi qui in talibus secretis ab ipsis angelis assistentibus instruuntur et quia secundum Dionysium non omnes huius secreta divina immediate in ipsa essentia divina intuentur, sed solum superiores, ideo non omnes angeli, sed soli superiores assistere dicuntur.

Ex hoc patet secundum, scilicet quod non omnes in ministerium mitti dicuntur, sed angeli inferiorum ordinum, quod patet ex parte actionem, quamvis circa nos extendent. Cum enim actio et forma, qua agens agit, debeat proportionari condicionibus patientis, et actio per quam angeli circa nos agunt. Cum sit particularis circa particularia, oportet quod talis actio praecedat a forma et specie magis contracta /37rb/ et particulata, alioquin non possemus recipere executionem eorum. Tales autem sunt formae, quae sunt in angelis inferiorum ordinum; et ideo oportet dicere quod solum angeli de inferioribus ordinibus mittantur ad diversa ministeria per agenda. Et illa est causa quare Philosophi posuerunt duplices motores orbium quosdam coniunctos quos vocabant motores orbium, quorum condiciones sunt particularizatae determinatae; et hos vocat Avicenna angelos ministrantes: alios vero separatos, quos intelligentias dicunt, in quibus sunt formae simplices et universales; et hos vocat Avicenna angelos assistentes. Ex hoc potest patere qui de secunda hierarchia mittantur et qui non, quia cum proprietates angelorum nobis insinuentur ex eorum nominibus et mitti dicuntur ad exequendum divina ministeria circa creaturam corporalem. Ideo angeli proprie istorum ordinum mittuntur ad exterius ministerium, ex quorum nominibus executio aliqua datur intelligi. Angeli autem secundae hierarchiae sunt dominationes, potestates et virtutes. Nomine autem dominationum non datur executio aliqua intelligi, sed sola dispositio et imperium de exequendis. Et ideo de ordine dominationis numquam mittuntur aliqui. Sed quia quinque aliorum ordinum nomina important executionem alicuius ministerium, nam angeli et archangeli denominantur denunciando; virtutes et potestates dicuntur per respectum ad actum aliquem. Principatus, Gregorius, autem est inter alios ministrantes vel operationes priorem existere. Ideo ad quinque ordines inferiores pertinet in exterius ministerium mitti, non autem ad quattuor superiores.

Tertio quaeritur utrum singulis hominibus deputetur angelus ad custodiam.

Quod non, quia custodia angelorum valet homini ad evitanda pericula, ad instruendum contra ignorantiam. Sed Adam in primo statu liber fuit ab istis, ergo non indiguit custodia angelorum.

Contra. «Dicit Hieronimus quod 'unaquaeque anima habet sui custodiam angelum deputatum.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 36va-37va
transcribed by Andrea Colli

Ad huius quaestionis evidentiam sunt tria videnda. Primum est quod homines indiget custodiam angelorum. Secundum ad quos homines pertinet angelos custodire. Tertio apparebit principale quaesitum.

Circa primum sciendum quod secundum rationem divinae providentiae, hoc in omnibus rebus invenitur, quod semper mobilia et variabilia per immobilia moventur, quia, ut docet Philosophus, omnis motus procedet naturaliter ab aliquo immobili. Unde videmus quod corpora inferiora reguntur a corporibus superioribus, in quibus est minus de motu et mutatione; et ita corporalia per incorporalia moventur et reguntur per substantias spirituales. Unde et nos ipsi regulamur in cognitionibus ex principiis immobilibus et per se notis. Manifestum est autem quod in rebus agendis cognitio et effectus hominis possunt variari et deficere multipliciter a bono. Ideo necessarium fuit, ut ad finem suum posset magis congrue pervenire, quod aliquibus angelis reguletur et permoveatur in bonum et istud vocamus custodiam angelorum. Et quia homini datur ratio qua rationalis naturae est, ideo statim, cum naturam accipit a nativitate, angelus sibi deputatur. Et quia etiam per talem custodiam fit executio divinae providentiae circa custoditum, ideo quamdiu habet esse, numquam custodia caret angelorum et sic numquam in vita hominis angelus simpliciter et totaliter deserit custoditum.

Quantum ad secundum sciendum quod illi angeli proprie hominum custodes dicuntur qui immediate ipsos illuminant, et habent actus limitatos circa humana officia, et procurant spiritualiter salutem custoditi. Propter primum excluduntur a custodia assistentes, quorum illuminatio venit ad nos per medios et infimos. Propter secundum excluduntur angeli de secunda hierarchia a custodia, quia non habent potestatem limitatam ad officia humana. Sed per tertium, scilicet quod per custodiam procuratur salus singularis personae, quod est limitatum et infimum in ordinibus angelorum, dicitur quod solus ordo ultimus, scilicet angelorum custodiae hominum deputatur.

Quantum ad tertium sciendum quod custodia angelorum fit ad considerandum promoventia in finem et ad removendum ea, qua sunt a finis consecutione impedimenta, omnibus illis debetur custodia angelorum, qui notandum suum finem ultimum sunt consecuti. Et ideo omnibus hominibus ab infusione animae rationalis usque ad mortem datus est angelus in custodiam. Unde et Adam habuit angelum propter periculum quod sibi imminabat et ex potentia peccandi et daemone impugnante. Consecrati in utero etiam habent angelum custodem non ad impediendum peccatum, sed ad promovendum in bonum. Christus autem angelum non habuit, tum quia superior erat angelis recipiens, immediate illuminationem a Deo, tum quia /37va/ verus comprehensor fuit coniunctus fini. Quia etiam erat viator potest dici, quod non debebatur sibi angelus tamquam custos superior, sed tamquam inferior et minister.

Ad argumentum de Adam patet quod debuit habere propter pericula ab exteriori evenientia, ut dictum est.